

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

***RESPONSA AD QUAESTIONES  
AB EPISCOPALI CONFERENTIA FOEDERATORUM AMERICAE  
STATUUM PROPOSITAS CIRCA CIBUM  
ET POTUM ARTIFICIALITER PRAEBENDA***

**1. Quaeritur:** *Estne moralis obligatio subministrandi cibum et potum – sive naturali sive artificiosa ratione – aegroto qui versatur in “statu vegetativo”, excepto casu quo haec alimenta a corpore aegroti recepi nequeant seu solummodo cum gravi molestia physica ministrari possunt?*

**Respondetur affermative;** quandoquidem cibi potusque subministratio, artificiali etiam methodo peracta, in linea principii, servandae vitae medium ordinarium et proportionatum evadit. Quapropter eiusdem procurandae moralis viget obligatio, quatenus consequi comprobetur finem suum proprium, nempe nutritionem et imbibitionem aegroti; qua quidem subministracione dolores et mors inanitionis et dyshydrationis causa vitantur.

**2. Quaeritur:** *Si cibus et potus methodis artificialibus aegroto in “statu vegetativo permanente” versanti procurantur, possunt cessare erogari ex idoneorum medicorum sententia, vi certitudinis moralis praedita, secundum quam aegrotus numquam conscientiam suam recuperaturum esse censemur?*

**Respondetur negative;** etenim aegrotus in “statu vegetativo permanente” versans semper persona est, dignitate humana nullatenus destituta, cui ex hac ipsa ratione curae ordinariae et proportionatae debentur; inter quas, in linea principii, subministratio cibi et potus, etiam methodo artificiali obtainienda, connumeranda est.

Summus Pontifex Benedictus XVI, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, haec responsa in Sessione Ordinaria huius Congregationis deliberata, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die I mensis Augusti anno MMVII.

**Gulielmus Cardinalis Levada**  
*Praefectus*

**Angelus Amato, S.D.B.**  
Archiepiscopus tit. Silensis  
*Secretarius*